Admodum Rev.de Pater ~

~~289~~ 263

Accepi literas tuas uir inclijte magna, ut par erat, extimatione, propter honorem mihi tributum, eximię benignitatis affectum, et Sapientię tuę Specimen demostratū; Calamus enim delineauit effigiem, designauit uirtutem, indicauit humanitatem; Quò ad me, sapientis laudem magnifacio; Sed illius cumulus, qui longè excedit merita, ad humanitatem refero tuam; nihil enim est, quod dignum esse possit in me, pręterquam quòd uirtutis tuę culmen fateor, et agnosco, prout, et omnes bonarum artium studiosi; Ipse uerò tui nominis obseruantissimus semper extiti, sola uirtutis fama, insignique literarum laurea, quibus emines, nunc amantissimus benignitate morum, et largitate gratiarum, quibus mè decorasti; Undè placeat in ~~futurum~~ mè ad tui obsequium admittere, quē fauoribus auctum relinquis, ut sic meo satisfaciam oneri, et desiderium expleam: Expecto antiquarum inscriptionum explicationem, quam petij, et Paternitatem Vestram rogo, ut quamprimùm mittere dignetur, nam in Libro Vaticiniorum B. Ioannis Calà antecessoris mei inserenda sunt, unà cum interpetris nomine, multis nominibus describendi. Ego aūt ad usum operis Mundi subterranei, micto relationem Patris Lucę Mandelli, qui scribit historiam Lucanię, ubi nonnulla alia de Gigantibus habentur, ut appareat fuisse Gigantes in hoc Regno, nec tempore satis remoto; sed non parum glorię, uidebitur triumphasse veteres nr̄os Anglię Duces in Italia, paritèr, et in Anglia de Gigantibus. sic Brutus, Turonus, Corineus, et Prisci Troiani nostrorū Anglosaxonum genitores gigantes exterminarunt ab Insulis Albionis, et Anglosaxonum, pariter generosi filij monstris ab huiusmòdi Regnum hoc, totamque Italiam liberarunt. ~

Mitto etiam P. V. inscriptionem quandam, quam imprimi fēci è tabula

Admodo R. P. Athanasio Kircher

ænea antiquissima, quę est penès mè, reperta paucis mensibus
ante pestem in Castrouillarum, quę fuit una ex Vrbibus ab Inuictiss.o
Imp.re Enrico VI. concessis B.to Joanni, et Enrico eius Fratri; hanc pu-
tabam pertinere ad horum gesta, uèl ad memoriam Sanctitatis illius,
sed relatum est Longè antiquiora continere ab Idolorum Sacerdotibus
condita; Placeat etiam explicationis huius epigraphe, qualiscumque sit,
exemplum mittere, ut certior sim extranea continere; uerum si ita est,
licet ad propositū meū non necess.ria, tibi tamen nō inutilia fore existimaui,
Mundi subterranei monum.ta. Vale Vir Doctissime, meque excusatum
habe, si ante non scripsi, fui enim absens. Neap. 15. 9bre 1661

Admodum R.dae Paternitatis V.rae

Seruus deuotissimus
Carolus Calà
Dux Diani

Il Sig.re Cav.re Cala Duca di Diani